

primo & secundo significato Major fallit una cum probatione quia neutra necessitas, præcisè ut excludit alteram, requiritur ad objectum omniscientiæ infallibilis. In tertio significato Major quidem est verissima quod objectum omniscientiæ infallibilis debeat esse necessarium, sive necessitate absoluta sive hypothetica. Sed tunc respondemus (2.) ad minorem eam negando, quod scilicet objectum scientiæ mediæ nullo modo, hoc est, nec in se nec hypotheticè sit necessarium. Ad confirmationem Minoris dicimus concedendo objectum scientiæ mediæ non esse necessarium necessitate consequentis, an vero habeat necessitatem consequentiæ pendet ab explicatione terminorum. Proinde notandum, distinctionem hanc necessitatis consequentis & consequentiæ primitus fuisse adhibitam à Philosophis Conclusionibus Syllogismorum. Cum enim quædam illarum ita essent comparatæ, ut etiam in se seclusa forma Syllogistica essent necessaria, quales sunt v. g. Homo est animal, Deus est Spiritus &c. quædam vero tantum essent necessaria, in quantum starent in legitima forma, figura & modo; ut homo est doctus, Petrus est albus, tunc ut illas ab his, & contra, distinguerent illas vocarunt necessarias necessitate consequentis has vero necessitate consequentiæ tantum, quod positis quibusdam demum non possent se aliter habere. Unde patet has duas necessitates sic non esse adæquatè distinctas, cum omnis necessitas consequentis sit etiam consequentiæ, non contra. Hinc traducta est distinctio ad res ipsas & dictæ sunt res necessariae necessitate consequentis quæ in se & simpliciter sunt necessariae, contra necessariae necessitate consequentiæ, quæ non in se sunt necessariae sed facta demum quadam suppositione.

§. 38. Atque hæc necessitas consequentiæ rursus dupliciter potest intelligi. Aut enim illa tantum dicitur necessitas consequentiæ, quando id quod supponitur, necessariam habet connexionem, cum illo, ad quod supponitur ut v. g. in hac: Si Petrus currit, movetur; vel non tantum de hac, sed simul etiam de illa, ubi aliquid ad alterum supponitur, modo aliquam, sive eam necessariam sive contingentem & non illativam habeat connexionem cum illo ad quod supponitur. Si priori modo explicetur necessitas consequentiæ, tunc negamus in confirmatione, quod statim illud quod non habet necessitatem consequentis & consequentiæ, non sit objectum omniscientiæ infallibilis, cum detur præterea aliquid, quod tamen